

dere non possit in feuda habentia jurisdictionem; quamvis enim officium iudicandi ipsis monachis prohibitum videatur, tamen non prohibentur jurisdictionem exercere et justitiam administrare partibus per alios ad id idoneos, id, quod consuetudine, quæ est optima legum interpretis, ubique praticari videmus.

105. *Muti, surdi, etc. succedunt in feudis quorum servitia præstare valent.* — Quæritur V. An muti, surdi, cæci, claudi, vel alias imperfecti, in feudis succedant? Dubium causant textus, l. II. *Feud.* tit. XXXVI. ibi: « Mutus et surdus, cæcus et claudus, vel aliter imperfectus, etiamsi sic natus fuerit, totum et feudum paternum retinebit, » Obertus, et Gerardus, et multi alii: quidam tamen dicunt eum, qui talis natus est, feudum retinere non posse; quia ipsum servire non valet. » Et lib. I. tit. VI. § 2. ibi: « Mutus feudum retinere non potest, scilicet, qui nullo modo loquitur: sed si feudum fuerit magnum, quo ei oblato se exhibere non valeat, tantum ei relinqui debet, unde se sustentare possit. »

106. Resp. I. Muti, surdi, etc. sive a natiuitate, sive aliunde tales existant, succedere possunt in omnibus illis feudis, in quibus non solum requiritur servitium reale, vel personale quidem, tale tamen, quod ipsi bene peragere, queunt. Fachin., lib. VII. cap. xxxiv; Azorius, p. III. lib. X. cap. viii. et communis aliorum. Probatur conclusio tum ex textu primo citato præced. n., tam ex eo, quod ratio cesset, ob quam surdi, muti, etc. feudorum incapaces redduntur: videlicet, « quia ipsum servire non valeant, » cit. lib. II. tit. XXVI.

107. *Non item in illis quorum servitia præstare nequeunt.* — Resp. II. Quando feudum est ita constitutum, ut personale et tale requirat obsequium, quod per mutum, surdum, etc. fieri nequit, et quod per substitutum peragi non conceditur, muti, surdi, etc. tunc in tali feudo non succedunt. Fachin., loc. cit. et alii. Idque patet ex ultimis verbis textus primi cit. lib. II. tit. XXXVI. et lib. I. tit. VI. Nec in contrarium quid probat prima sententia Obserti, et Gerardi, lib. II. *Feud.* tit. XXXVI. relata, ubi absolute ac sine distinctione muti, surdi, etc. capaces declarantur feudorum. Nam contra est, quod textus ille concordari debeat cum aliis juris textibus, in quibus aperte habetur, quod qui officium requisitum præstare nequit beneficium habere non possit; uti etiam patet

ex cit. lib. II. tit. XXI. « nec beneficium pertinet ad eum, qui non debet gerere officium. »

108. *Debet tamen de his, si magnos redditus habent, muto, surdo, etc., præstari honesta sustentatio.* — Notandum tamen, quod si feudum sit magnum, id est, habens copiosos redditus, honesta sustentatio inde præberi debeat cæco, claudus, etc., qui ratione impedimenti hujusmodi naturalis succedere impeditur lib. I. *Feud.* tit. VI. Imo tales servitia præstare impediti, in feudis plene etiam succedunt, si vigore investituræ vel consuetudinis, per alios servitia præstare licet; qualem consuetudinem communiter vigere testatur Azorius, loc. cit. quæst. 2.

§ IV.

DE JURIBUS ET OBLIGATIONIBUS, QUAS RATIONE FEUDI TAM DOMINUS, QUAM VASALLUS HABENT: ITEM DE CAUSIS, OB QUAS AMITTITUR FEUDUM.

109. *Domino competit jus proprietatis in feudo.* — Quæritur I. Quale jus competat domino feudi? Præter proprietatem et dominium directum, quod in rem feudalem dominus habet lib. II. *Feud.* tit. XXIII. jus ejus positivum consistit in obligationibus, quibus eidem obstrictus manet vasallus. Obligationes autem vasalli respectu domini sunt sequentes.

110. *Vasallus debet domino præstare obsequium, et jurare fidelitatem.* — Prima est, ut id, quod eidem in investitura imponitur, ipseque præstare promittit, fideliter exequatur. Et quidem in feudo proprio adigitur jurare quod domino esse velit fidelis, eique debitum præstare obsequium. Fidelitas autem, quam domino jurat, multum importat, quæ continetur in can. *De forma.* 18. caus. 22. q. 5. ubi Fulbertus episcopus interrogat, quidnam ratione fidelitatis, quam vasallus jurat domino feudi, debeatur? Sic respondet.

111. *Quidnam ratione fidelitatis debeat vasallus domino?* — « Qui domino fidelitatem jurat, ista sex semper in memoria habere debet, incolume, tutum, honestum, utile facile, possibile. Incolume videlicet, ne sit in damnum domino suo de corpore suo. Tutum, ne sit in damnum de secreto suo, vel munitionibus, per quas tutus esse potest. Honestum, ne sit in damnum de sua justitia, vel de aliis causis, quæ ad honestatem ejus

pertinere videntur. Utile, ne sit ei in damnum de suis possessionibus. Facile vel possibile, ne id bonum, quod dominus suus facere leviter poterat, faciat ei difficile, neve id, quod possibile erat, reddat ei impossibile. Ut fidelis hæc omnia nocumenta caveat, justum est. Sed quia non sufficit abstinere a malo, nisi fiat id, quod bonum est, restat, ut in sex prædictis consilium et auxilium domino suo fideliter præstet, si beneficio dignus videri vult, et salvus esse de fidelitate, quam juravit. » Qui textus etiam lib. II. *Feud.* tit. VI.

112. *De formula juramenti, vasallorum relative.* — Formula juramenti per extensum habetur cit. lib. II. tit. VII. quæ an ubique vigeat, et præstari debeat, locorum consuetudines attendi debent.

113. *Contingente mutatione ex parte domini vel vasalli, debet vasallus renovationem investituræ petere.* — Secunda obligatio est, ut contingente mutatione, sive ex parte domini, sive ex parte vasalli per mortem, vel alium casum, vasallus petat renovationem investituræ, petendoque dominum recognoscat, et ei fidelitatem juret, Textus est in lib. II. *Feud.* tit. XXIV.

114. *Pro renovatione investituræ de jure quidem nihil, de consuetudine tamen relevium datur: et quantum.* — Porro, quamvis de jure communi feudalis hæc investitura gratis danda sit, cum nullum vestigium in libris feudorum appareat, quod pro investitura nova aliquid solvi debeat, nihilominus, ut bene observat illustrissimus dominus Schmidt ad tit. XII. a. 8. *Jur. Bavar.* n. 1, communi fere omnium locorum consuetudine introductum habetur, ut pro nova investitura in recognitionem domini directi aliquid præstetur, quod « Relevium, » vulgo « den Lehenreich » vocant. In quonam autem consistat hoc relevium, particularis cujusvis loci consuetudo vel statutum attendi debet. In Bavaria debet vasallus contingente mutatione pro investitura feudi equestris « Retterlehen, einen Schieszeug geben, » cujus loco hodie porriguntur septem floreni, et quatuordecim crucigeri. Pro bursaticis, et aliis non equestribus, sed communibus et vulgaribus feudis vero solvere debet quinque pro centum de pretio, quo feudum tale venditur, vel æstimatur: ita clare statutum habetur tit. XII. a. 8. ubi etiam specialiter et expresse caveatur, ne duplex relevium « der Anfall und Abfahrt, » uti laudemium in emphyteusi petatur.

115. *Relevium inter et laudemium distinctio, quod illud, non item istud dari debeat mutatione contingente sive ex parte domini, sive ex parte vasalli: observatio circa jus Bavaricum.* — Est etiam aliud discrimen inter laudemium, et relevium, videlicet, quod illud tantum præstetur, quando fit mutatio ex parte emphyteutæ. Relevium vero etiam solvi debeat, sive fiat mutatio ex parte domini, sive ex parte vasalli, eo quod sive hac, sive illa mutatione contingente renovatio investituræ peti debeat, lib. II. *Feud.* tit. XXIV. Advertit tamen Schmidt, tit. XI. a. 4. quod, si ex parte vasalli mutatio fiat, de jure Bavarico relevium solvi debeat, sive per mortem, sive per alienationem mutatio contingat. E contra vero si ex parte domini mutatio emergat, relevium tunc tantum solvatur, si dominus moriatur, non item, si proprietatem suam vendat, vel alias alienet. Quod etiam clare habetur tit. XII. a. 8.

Præter enumeratas obligationes, sunt et aliæ, vi quarum ab aliquibus abstinere debet de quibus magis infra, quando agemus de causis, ob quas vasallus amittit feudum.

116. *Vasallus habet dominium utile in feudo.* — Quæritur II. Quale jus competat vasallo ratione feudi? Resp. Vasallus consequitur et habet dominium utile in feudo, ita ut rem feudalem libere administrare, eo uti et frui, cunctaque ea circa illud disponere possit, quæ meliorem, non item quæ deteriolem reddunt conditionem feudi, textu claro, lib. II. *Feud.* tit. VIII. Num vero, et quomodo alienare quoque feudum valeat, dicitur infra.

117. *Quales obligationes habeat dominus feudi respectu vasalli.* — Resp. II. Præter dominium utile competit vasallo jus, quo sibi reciproce obstrictum et obligatum habet dominum feudi. Obligationes autem domini quas erga vasallum habet, potissimum sunt sequentes. I. Ut præstito fidelitatis juramento vasallum illico in possessionem mittat; et si moram fecerit, omnem utilitatem vasallo præstet. Textu claro, lib. II. *Feud.* tit. VII. Secundo si vasallum in re aliena sive scienter, sive ignoranter investiverit, præstare eidem evictionem debet cit. lib. II. tit. VIII. dummodo vasallus post lifem motam dominum, ut se defendat, debite monuerit. cit. lib. II, tit. XXV. ipseque vasallus tempore investituræ nesciverit, feudum sibi conferendum, rem esse alienam, cit. tit. XXV. et tit. VIII. ibi: « Qui enim alienæ rei sciens investituram acceperit, nisi facto speciali sibi

prospexerit, de evictione agere non poterit. »

118. Tertio debet vasallo reciproce fidelitatem (non tamen juratam), nam ut dicitur cit. can. *de Forma*. 48. caus. 22. q. 5. « Dominus quoque tibi suo in his omnibus vicem reddere debet: quod si non fecerit, merito censebitur malefidus, sicut ille, qui eorum prævaricatione vel faciendo, vel consentiendo deprehensus fuerit perfidus, et perjurus. » Item habetur lib. I. *Feud.* tit. VI.

119. *Vasallus sine consensu domini nullatenus potest feudum suum alienare.* — Quæritur III. An, et qualiter vasallo competat jus aut potestas feudum alienandi? Resp. I. Nullus vasallus absque domini consensu feudum aliquod alienare potest. Communis ac certa textu claro lib. II. *Feud.* tit. LII. et LV. ubi etiam irrita declaratur omnis alienatio feudi absque domini consensu facta, et in transgressores pœna privationis statuitur, sive dein gratuita sive sive onerosa. Hinc sine requisito domini consensu vasallus feudum nec donare, cit. lib. II. tit. IX. nec hypothecare, tit. LV. nec permutare, ibid. nec in solutum dare, nec in dotem dare, tit. IX. § *Donare*, nec testamento relinquere aut legare, lib. I. *Feud.* tit. VIII. nec vendere, nec alio quocumque contractu, quo jus reale transfertur, alienare, lib. II. *Feud.* tit. LV. ibi: « Hac edictali, Deo propitio, perpetuo valitura lege sancimus, ut nulli liceat feudum totum, vel partem aliquam vendere, vel pignori, vel quoquo modo distrahere, vel alienare, vel pro anima judicare sine permissione illius domini, ad quem feudum spectare dignoscitur. »

120. *Limitatur in feudo hæreditario.* — Limitatur conclusio I. In feudis hæreditariis, cit. lib. II. tit. XLVIII. ibi: « Si quis ea lege alicui dederit feudum, ut ipse, et sui hæredes et cui ipse dederit, habeant, respondeo: Iste, qui accepit, poterit id vendere, vel donare, vel aliter, si placuerit, etiam sine voluntate domini alienare. » Vult., lib. I. c. x. n. 91; Clarus, § *Feudum*, q. 31. n. 8; Engel, h. t. n. 37. et communis aliorum. Ratio est, quia dando hujusmodi feudum censetur dominus statim ab initio universaliter consensum alienandi præstitisse; nisi forsan in ipsa investitura expresse reciperet, et ut sine suo consensu feudum non alienetur, cavere.

121. *Ac in casu, dum feudum alienatur proximiori agnato.* — Limitatur II. In casu, quo feudum alienatur proximiori agnato, seu

illi, qui alias immediate succederet vasallo mortuo. Quæ doctrina pro indubitata traditur apud Clarum in additionibus q. 31, Additione finali, ac sequitur Engel, h. t. n. 37, arg. lib. I. *Feud.* tit. XIII. § fin.

122. *Item in casu, quo mulier feudum habens, illud marito pro dote consignat.* — Limitatur III. conclusio, quoad dationem dotis, quod nempe licet pater vel alius feudum in dotem filiae dare sine consensu domini non possit; id tamen ipsa filia, vel alia mulier feudum habens id facere, et feudum marito, vel potius sibi ipsi in dotem dare et assignare valeat. Pirhing, h. t.; Rosenthal, et communis aliorum, arg. lib. II. *Feud.* tit. XIII. Ratio est, quia in hoc casu feudum adhuc apud talem uxorem manet, ad eamque soluto matrimonio pleno jure revertitur, vel ipsa mortua ad maritum non transit, utpote qui ex tali dote plus non habet, quam quod illa, durante matrimonio ad se et uxorem sustentandum, uti, et frui valeat. cit. tit. XIII.

123. *Potest etiam vasallus feudum alteri dare in feudum.* — Resp. II. Potest vasallus etiam absque consensu domini feudum alteri in feudum dare, ac etiam ad modicum, v. g. triennium, non item ad longum tempus locare. Clarus, § *Feudum*. q. 32; Pirhing, h. t. n. 48; Glossa, in c. *Quæ in Ecclesiarum*. 7. § *Alienandi. de Constit.* cum communi doctorum; textus est in lib. II. *Feud.* tit. IX. et tit. XXXIV. ubi tamen statuitur, ut subinfeudandus sit ejusdem conditionis cum vasallo principali, ne fiat deterior conditio domini: textus sic habet: « Nec vasallus feudum sine voluntate domini alienabit, in feudum tamen recte dabit, si secunda persona sit talis, quæ feudo servire potest; ut si dans miles est, et ille, qui accepit feudum, inveniat miles, ad hoc ut feudum, si contigerit, domino similiter servire ut prior possit. » Idem habetur tit. XXVI. § 5. *Beneficium*.

124. *Etiam ad modicum, non item ad longum tempus locare.* — Secunda pars de locatione ad modicum tempus patet ex lib. II. *Feud.* tit. IX. Quod vero ad longum tempus locatio sine consensu domini fieri nequeat, ratio est; quia locatio ad longum tempus alienationi æquivalet; prout supra tit. XVIII. *de Locato et conducto* diximus; unde locans feudum suum attendere debet, ne in hoc nimium faciat, vel fraudem committat, prout bene monet textus cit. tit. IX. ibi: « Potest locare, nisi locatio esset fraudulenta alienatio. »

125. *Feudum novum potest vasallus cum consensu domini alienare.* — Resp. III. Feudum novum cum consensu domini potest vasallus quocumque contractu ex supra nominatis alienare. Communis ac certa, textu claro, lib. I. *Feud.* tit. XIII. § fin. ibi: « Si cum domini voluntate totum vel medium (feudum) alienaverit, stabilis permaneat alienatio. » Dicitur notanter « Feudum novum. »

126. *Non item antiquum, nisi accedat etiam consensus agnatorum.* — Nam si feudum est antiquum, vel paternum, requiritur etiam agnatorum ad hoc, ut constanter teneat talis alienatio. Enimvero si quis vasallus cum consensu domini, absque tamen consensu agnatorum feudum alienet antiquum, tenet quidem hæc alienatio, quandiu vivit taliter alienans, eo tamen mortuo feudum ita alienatum redit iterum ad proximum agnatum sine refusione ullius pretii, nisi per annum sciens taceat, lib. II. *Feud.* tit. XXVI. § *Titius*. ibi: « Titius filios masculos non habens, partem suam feudi Seio, partem ejusdem feudi possidendi agnato suo concessit. Sempronius proximior agnatus mortuo demum Titio partem illius feudi nullo dato pretio recipere potest, etc. Quod si consensit alienationi, nisi per annum, ex quo scivit, tacuit, omnino removebitur. » Concordant statuta Bavarie, *Landrecht*, tit. XI. a. 3. Ratio est, quia jus, quod agnatis ex antiqua investitura competit, alieno facto auferri non potest. arg. I. *Id quod nostrum*. 41. ff. *de Reg. jur.*

127. *Feudum antiquum mole alienatum, si proximius agnatus suo tempore non revocat; possunt illud eo mortuo agnati remotiores revocare.* — Ob eandem rationem, si proximius agnatus feudum a vasallo male alienatum non revocat, possunt illud cæteri revocare agnati: quando dictus proximius agnatus moritur, non obstante, quod jam multis annis feudum per alienationem acquisitus alius possideat, cum communi aliorum docet, et bene probat Fachin., lib. VII. cap. XII. eo quod remotiores agnati, vivente proximio agere non potuerint; agere autem non valent non currit præscriptio, arg. I. I. § *Ad hæc. c. de Annali except.*

128. *Agnatis competit jus retractus feudi absque eorum consensu alienati.* — Porro competit etiam agnatis jus retractus, si feudum antiquum absque eorum consensu venditum est, ut proin etiam vivente adhuc vasallo

alienante recuperare possit feudum proximus agnatus, vel eo nolente etiam remotior, si nempe idem pretium, quod alter dedit, offerat, arg. lib. II. *Feud.* tit. IX. § *Porro*, et tit. XXVI. § *Titius*. juncto tit. III. § *Sed etiam res*. quid autem circa retractum observandum sit, habetur supra tit. XVII. *de Emptione et venditione*. § 13.

129. *Licitum est alienare feudum ad ratificationem domini.* — Resp. IV. Ad alienationem feudi sive antiqui, sive novi non requiritur consensus actu præsens, sed sufficit etiam subsequens, adeo ut bene, et absque pœna commissi alienare qui possit feudum ad ratificationem domini, vel sub clausula ac conditione: « Si dominus consenserit: » vulgo *auff* ratification, vel « Guetheissung der Grundherrschaft. » Clarus, quæst. 31. n. 5; Mynsinger, ac communis aliorum. Ratio est, quia talis clausula est resolutiva alienationis, ita ut consensu domini non subsequente, alienatio non subsistat, nec vasallus feudum alienasse dicendus, et consequenter pœna commissi puniendus sit. Recte tamen monet Clarus, loc. cit. ne ante consensum subsecutum traditio feudi cum tali clausula alienati fiat, eo quod alias actus talis protestationi videretur contrarius, qui magis attenditur, quam protestatio ipsa, arg. c. *Gratum*. 20. *de Officio delegat.* Cæterum bene servire possunt alienationes feudorum cum hujusmodi clausulis factæ tunc, quando dominus hic et nunc præsens non est, et alienare urgent rationes ac circumstantiæ, ipseque dominus vel agnati præsumuntur postea consensuri. Prout non raro contingit, dum per testamentum, vel alia ultima voluntate disponere vult de feudo.

130. *Vasallus absque consensu domini feudum alienans, perdit illud.* — Quæritur IV. Quibus de causis amittatur feudum, vel finiat? Resp. Feudum variis de causis amitti, ac finiri, præsertim ob malam alienationem, ob non petitam investituram, ob refutatam rem, et ob commissam feloniam. Primo itaque feudum amittit vasallus, si illud absque domini consensu alienet in casibus, in quibus consensus requiritur. Unanimis ob clara jura *Feud.* lib. I. tit. XXI § fin. lib. II. tit. LII. et tit. LV. Nec refert, quod olim potuerit vasallus saltem mediocritatem feudi absque domini voluntate vendere, lib. I. *Feud.* tit. XIII. in princ. ibi: « Si clientulus voluerit partem suam feudi alienare, id est medium, sine voluntate domini poterit hoc facere, ul-

terius progredi non potest. » Nam contra est, quod hoc postea absolute interdictum sit, adeo, ut « si vasallus contra constitutionem Lotharii regis beneficium alienaverit : si totum, perdat totum ; si partem, partem perdat, et ad dominum revertatur, » prout expressis verbis habetur lib. II. *Feud.* tit. XXXVIII.

131. *Postquam actu illud etiam tradit.* — Verumtamen, ut quis ob alienationem incurrat poenam amissionis, non sufficit nuda alienatio, sed requiritur etiam feudi alienati traditio. Vult., *de Feudis*, lib. I. cap. XI. n. 42 ; Engel, h. t. n. 34. arg. lib. II. tit. LV. ibi : « Qui feudum vendunt, et in alios transferunt. » Ratio est, quia « alienatum proprie non dicitur, quod adhuc in dominio est venditoris, » l. *Alienatum*, 67. ff. « de V. S. Traditionibus autem dominia rerum, non nudis pactis transferuntur. » l. *Traditionibus*. 20. c. *de Pactis*.

132. *Etiamsi id statim iterum recuperet.* — An autem vasallus feudum actu male alienans, et statim iterum recuperans, poenam commissi incurrat, gravis est controversia inter doctores. Fachin., lib. VII. cap. LXXXIV. cum Jasone, Baldo, Alexandro, et aliis, affirmativam tenet, arg. lib. II. *Feud.* tit. XLIV. ibi : « Hodie autem, si ipsum alienaverit, si quidem illicite, licet postea recuperavit, tamen penes eum non remanebit, utpote domino, ad quem pervenerit, apertum ; » ubi, uti legenti patet, sine distinctione, an statim, vel post intervallum iterum recuperetur feudum male alienatum, domino apertum declaratur. Alii tamen, ut Afflictus, Speculator, Zasius, negativam amplectuntur plura allegantes juris fundamenta non contemnenda, l. fin. § fin. c. *de Bonis, quæ liberis*. l. III. ff. *de Divort.* l. *Qui infulam*. 30. § *Colonus*. ff. *Locati*. c. *Posuit de Locato*. Quæ cuncta tamen Fachin.,olvere conatur apud quem videndum.

133. *Controversia, an feudum antiquum sine consensu domini alienatum ad dominum, vel agnatos transeat.* — Adhuc gravior, eaque summe practica est controversia inter feudistas, utrum feudum, quod ob illegitimam alienationem vasallus amittit, transeat ad dominum directum, vel ad proximos agnatos. Quæ quidem controversia non extat de feudo novo, utpote quod male alienatum indubitate transit ad dominum, cum in eo nullum jus quæsitum habeant agnati juxta dicta supra n. 87. Sed de antiquo, ad quod

vigore investituræ etiam agnatis jus competit.

134. *Proponitur sententia dicens illud ad agnatos devolvi.* — Julius Clarus, § *Feudum*. q. 66. n. 3. Glossa, in lib. I. *Feud.* tit. VIII. § 1. *Hoc quoque de Successione feudi*. Afflictus, Imola, Zasius, Socinus, et plures alii a Fachin., lib. VII. cap. XXIV. citati volunt, feudum antiquum ob malam alienationem amissum devolvi ad agnatos proximos, arg. lib. II. *Feud.* tit. IX. Rationem dant, tum quia poenam sentire non debet, qui non deliquit : « Nam peccata suos teneant auctores, nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum. » l. *Sancimus*. 22. c. *de Pænis* : tum quia juris quæsitio tertii per factum alienum præjudicari non potest, prout supra jam diximus : tum etiam quia juxta ipsos adversarios vasallus etiam cum consensu domini male alienans præjudicare non potest agnatis, juxta dicta supra n. 126. ergo multo minus sine illius consensu. Accedit, quod alias vasallus pro libitu suo posset suis agnatis inferre præjudicium, male nempe alienando feudum.

135. *Probabilius est tale feudum ad dominum reverti.* — Fachin. e contra lib. VII. cap. XXIV. cum aliis docet feudum mala alienatione amissum ad dominum reverti. Probat id pluribus, iisque satis claris juris textibus, quibus aperte ac indistincte habetur, quod si vasallus feudum ob illicitam alienationem perdat, illud ad dominum revertatur. Ita clare habetur, *Feud.* lib. I. tit. V. lib. II. tit. XXXVIII. XLIV. et LV. ac tit. XXIV. ubi hæc ipsa quæstio, an feudum amissum ad dominum vel agnatos revertatur, resolvitur ac statuitur, ut quotiescunque vasallus in personam domini peccat, feudum non ad agnatos, sed ad dominum revertatur ; deinde subditur : « Si vasallus contra constitutionem Lotharii imperatoris beneficium alienaverit, quia dominum contemnere videtur, ad dominum beneficium pertinet. » Quia textus revera tam aperte sententiam Fachin. probat, ut eandem saltem ut probabiliorum et nos amplectamur.

136. *Solvuntur argumenta adversariorum.* — Præsertim, cum fundamenta contrariæ sententiæ facile solvantur ; quia ad primas duas juris rationes respondetur illas procedere, nisi aliud specialiter ordinent jura, prout contingit in materia feudi, ubi universaliter ob delictum, quod vasallus in dominum committit, etiam agnatis præjudicat

textu claro lib. II. *Feud.* tit. XXIV. Unde nihil etiam contra hanc sententiam facit, quod vasallus pro libitu possit præjudicium inferre agnatis, si nempe feudum male alienat ; sicut nihil contra eandem facit, quod aliud delictum in dominum committendo possit pro libitu agnatis præjudicium facere. Multo minus, quid probat, quod vasallus cum consensu domini feudum antiquum alienans non possit præjudicare agnatis ; quia alia de hoc casu habetur juris dispositio.

137. Conantur adversarii allegata n. 135, juris fundamenta infirmare dicendo ea loqui de feudis novis, non antiquis ; afferuntque alia jura prioribus contraria, lib. II. *Feud.* tit. IX. et tit. XXVI. § *Titius*. Sed contra est, tum quia jura indistincte loquuntur, consequenter etiam indistincte sunt intelligenda ; nam « ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, » l. *de Pretio*. ff. *de Publiciana in rem act.* ; tum quia textus lib. II. *Feud.* tit. XXIV. expresse loquitur etiam de feudo antiquo, hoc ipso quod ordinet quandonam feudum ob delictum amissum ad agnatos devolvatur. Feudum enim novum ad eosdem nunquam devolvitur juxta dicta supra n. 87. Ad textus contrarios allatos bene respondet Fachin. eos intelligendos esse de jure antiquo feudali, vi cujus concessum erat absque consensu domini saltem medietatem alienare ; vel loqui de jure retractus domino et agnatis competente, non item de caducitate ob malam alienationem emergente.

138. *Proponitur sententia media.* — Menochius media via incedere volens docet ad dominum quidem reverti feudum, quandiu male alienans vivit, post mortem vero illius ad agnatos redire, argumento a simili l. *Statutis*. 48. ff. *de Jure fisci*, et l. *Cum pater*, 77. § *Hæreditatem*. 4. ff. *de Legatis*. 2. ubi fideicommissum ob delictum confiscatum, post mortem delinquentis ad cæteros, quibus competit, redit : et arg. lib. II. *Feud.* tit. LXXVIII. ubi media hæc sententia expresse videtur tradita, dum ibidem ita statuitur : « Cum feudum hæreditarium uni ex cohæredibus ex propria culpa auferretur, etc. cæteris non præjudicat. Hoc autem ita intelligitur, ut vivo eo, vel suis hæredibus feudum ad cæteros venire non intelligatur. »

139. *Refutatur.* — Sed respondetur adducto argumento a simili nimium probari, videlicet, quod feudum etiam propter alia quæcumque delicta in dominum commissa post

mortem delinquentis ad agnatos devolveretur, quod ipse Menochius negat, utpote militans contra expressum juris textum lib. II. *Feud.* tit. XXIV. Idem responderi potest ad textum ex tit. LXXVIII. allatum. Accedit, quod textus ille sit ex illis titulis, qui authentici non sunt, et in casu, quo adversantur textibus authenticis, nihil probant juxta dicta supra n. 42. Unde consideratis omnibus considerandis omnino tenenda videtur sententia Fachin., quam etiam tenet communis doctorum teste claro loc. cit. Imo ipsemet Clarus cæteroquin contrarius in praxi hanc sententiam suadet.

140. *Si contingente mutatione ex parte domini, vel vasalli dolose, vel culpabiliter investituræ renovationem non petat, feudum amittit vasallus.* — Secundo amittitur feudum, si contingente mutatione sive ex parte domini per mortem, vel contingente mutatione quacunquē tandem ex parte vasalli intra annum et diem investitura de novo non petatur. Textus est cit. lib. II. tit. XXIV. ibi : « Prima causa beneficii amittendi hæc fuit, et adhuc est in plerisque curiis, quod si vasallus per annum et diem domino suo mortuo steterit, quod hæredem domini sui, investituram petendo, fidelitatem pollicendo non adierit, tanquam ingratus existens, beneficium amittit : et e converso, si domino superstite vasallus decesserit, et filius ejus per jam dictum tempus neglexerit petere investituram beneficio carebit. »

141. Ut autem ob neglectam investituræ renovationem feudum amittatur, necesse est quod dolus vel culpa interveniat vasalli, arg. lib. II. *Feud.* tit. LII. § fin. ibi : « Sancimus, si vasallus non dolose per annum et diem steterit, quod a domino sui beneficii investituram non petierit, feudum non ob hoc amittat. » Dolus autem abesse videtur, si justa causa impediens steterit. Hinc si quis legitimum impedimentum, vel causam rationabilem afferre potest, a poena privationis liber erit, v. g. si in illo loco, ubi dominus degit, pestis grassatur : si succedens in feudo ignoret rem esse feudalem ; si quis infirmatur, vel alias legitime impeditur ad dominum venire, lib. I. *Feud.* tit. XXII ; item si ignoret mortuum dominum directum, tempus enim non currit vasallo, nisi a die, quo rescit dominum esse mortuum, vel si mortuus est vasallus, a die, qua feudi possessionem est adeptus. Clar., q. 49, n. 8 ; Engel, h. t. n. 44.